TULLUM HOSTILIUM

OBSERVATIONIBUS VARII GENERIS ILLUSTRATUM

AMPLISSIMI PHILOSOPHICI ORDINIS

AUCTORITATE

PUBLICÆ DISQUISITIONE SISTUNT

M. GEORGIUS CHRISTIANUS GEBAUERUS

ET

FERDINANDUS SCHUBERTUS.

LIPSIÆ, A. O. R. cIↃ IↃ CC XX. XIII. APRILIS.

RECUSA. 41.)

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

AMICE LECTOR,

HOneſtiſſimæ Nobiliſſimi SCHUBERTI mei voluntati, qua ſuas ingenii vires, & opes eruditionis magno ſtudio in Alma noſtra collectas in publica Cathedra, me Præſide, explicare conſtituit, debes omnino quicquid eſt Tulli hujus eadem prorſus methodo, qua Romulus & Numa, illuſtrati. Tuum nunc erit, pro tua comitate, atque in nos benevolentia pretium huic labori ſtatuere, de quo illa TERENTIANI MAURI uſurpare liceat:

Fronte exile negotium
Et dignum pueris putes,
Aggreſſis labor arduus
Nec tractabile pondus eſt.

Sed & quovis Catone erimus contenti, modo ille veri ſit amans & incorruptus, nec imperitus talium judex. Tullus noſter Fana Pavori Pallorique nulla vovet, etſi Fufetiana alicubi agitentur conſilia, eoque loco apud Illuſtres & Clariſſimos Viros priores Reges eſſe gaudet & lætatur ſe etiam inpoſterum fore confidit, unde ſe dimoveri non patietur. Cæterum in hoc Rege ſubſiſto, & ſi qua ſpes de reliquis etiam omnibus ita explicandis a me excitata eſt, eam ut homines mei amantiſſimi dimittant, rogo. Si tamen Romulum, Numam, & Tullum promulſidem habere velint majorum epularum paulo aliter olim inſtruendarum, non intercedo: Otiari enim, aut cum his ſtudiis divortium unquam facere, meum non eſt. Vale, B. L. & noſtris ſtudiis fave.

 Q. D. B. V.

Digitized by Google

Q. D. B. V.

I.

Tulli ortus.

TULLUS HOSTILIUS, *ἀνὴρ δραστήριος* (*a*) Numæ Pompilio pacis & quietis amantiſſimo Regi ab Interregibus ſucceſſor datus eſt. Avum habuit Hoſtilium, patria Medullinum, Virum fortem & ſtrenuum, qui, poſt multa egregia facinora ſub Romuli imperio edita, tandem in bello occiſus, virtute ſua ſepulchrum in foro, & columnam literis ſignatam meruit. (*b*) Hic filium reliquit impuberem, noſtri Hoſtilii Patrem, (*c*) qui vel naturali inertia, vel ſiniſtræ educationis vitio, vel temporum, qualia ſub Numa erant, contagio, nulli magnæ rei intentus, pauper & inglorius, fato forte præmaturo functus deceſſit. Sane incunabula Tulli Hoſtilii agreſte tugurium cepiſſe, adoleſcentiam in pecore paſcendo fuiſſe occupatam, VALERIUS MAXIMUS (*d*) memoriæ prodidit. Idem tamen cum virtutem propriam ita commonſtravit civibus ſuis; tum avitarum laudum commemoratione dextre uſus tantam de ſe ſpem apud omnes excitavit, ut unanimi patrum populique conſenſu poſt obitum Numæ in altiſſimo Majeſtatis faſtigio fulſerit. Quare haud immerito S. AURELIUM VICTOREM vocamus in jus ad veritatis hiſtoricæ Tribunal, quod in ſuo *de Viris Illuſtribus* libello ſcripſerit; *Tullum Hoſtilium, quia bonam operam adverſum*

(*a*) DIONYSIUS L. III. c. 1. (*b*) DIONYSIUS l. c. conf. PLINIUS Hiſt. Nat. L. XVI. c. IV. (*c*) *Hoſtum Hoſtilium appellat* MACROBIUS *Saturnal* L. 1. c. 6. *eumque primum bulla aurea & prætexta inſignibus honoratum a Romulo ſcribit.* (*d*) c. 4. L. III. *Rom.* n. 1.

ſum Sabinos navaverat, regem creatum, manifeſti erroris damnandum, niſi forte exceptione ſe tueatur: ſi vox: *avus* aut ſimilis a librario negligente non eſt omiſſa.

II. Fuit autem noſter Hoſtilius ad omnia magna natus, cui nec conſilium nec animus unquam defuit. Vir acer, & dominandi ampliandique regni cupidiſſimus, ſed qui ſpiritus feroces & naturalem mentis impetum multa arte temperabat. Diſplicuerat dubio procul Viro intrepido diuturnus ille populi Romani torpor ſub Numæ regno, anxieque optarat ancipitia, inter quæ clareſcere erat animus: imo ea cupidine noſtrum ad ambiendum regnum in primis eſſe impulſum, facile crediderim, ne alius, qui Numam potius quam Romulum referret, vacuum ſolium occuparet. Se itaque ipſum Rex factus ſatis noverat; nunc etiam ſolicite videndum erat, quibus imperaret: ubi nullo negotio deprehendit, duo eſſe hominum genera in Urbe, Patres, Patricios, & qui cum his faciebant, homines divites & opulentos, qui ſub miti Numæ Imperio multum auctoritatis collegerant; nec tamen priſcæ virtutis plane erant immemores: tum Plebem, homines miſeros, egenos, opera ditioribus locata vix vitam tolerantes: illos numero pauciores, hos quam plurimos, ſuffragiis in Comitiis vincentes, (curiata enim ex præſcripto Romuli habebantur) copiarum robur, ſi res manibus gerenda eſſet. Non latuit callidiſſimum Regem his perſpectis, quid a ſe fieri oporteat. Meliorem Urbis partem non offendendam, imo colendam, majorem civium numerum etiam beneficiis a ſe devinciendum eſſe, optime ſtatuit. *Ingenium.*

III. Ager una cum regno Tullo obvenerat amplus & uber, quem Urbis Conditor armis ſuum fecerat, propria Regum poſſeſſio, poſtquam, Romulo ſine liberis extincto, publica illa portio iterum Numæ ceſſerat, quod illum peregrinum, laribusque in Urbe & agro carentem regem ſibi feciſſet Populus Romanus. Solemne id fuit gentibus migrantibus quamplurimis, aut novum Imperium *Ager Regum portio.*

 con-

Digitized by Google

condentibus, ut terras occupatas viritim dividerent, portionemque nobiliſſimam ampliſſimamque Regi tribuerent, unde ſe ſuosque reliquis etiam ſplendidius exhiberet, ducem ſe expeditionis eum legiſſe, foris Imperatorem, domi Judicem, illud ſe ei præter primum in civitate locum præmium tribuiſſe, non ei ceu domino ſe mancipiorum lege deuoviſſe, ita ſatis profeſſi. His conditionibus imperaſſe Romulum, manifeſtum eſt. Apud Germanos libertatis olim ſtudioſiſſimos Principis reditus faciebant mulctæ *(a)* & munera *(b)* ultro & viritim collata, de agris ſubſiſto. Hos pro numero cultorum ab univerſis per vices occupatos eſſe, tradit TACITUS, *(c)* de quo colendi modo non una eſt Virorum doctorum ſententia. Cum tamen idem addat, quamlibet civitatem illos agros ita occupatos inter ſe ſecundum dignationem eſſe partitam, majores noſtros a more migrantibus gentibus communi non admodum deflexiſſe, exiſtimo. Inter Francos ſane ſua Regibus erant Palatia, prædia ſua, & villæ, & terræ regiæ ſane ampliſſimæ, (unde etiam beneficia orta ſunt) portiones, quas e bello quæſitis, Ducibus ſuis dignitatis regiæ tuendæ cauſa aſſignarunt milites, ea cæterum libertate uſi, ut in diviſione prædæ hoſtilis vel unus e gregariis Clodovæo Regi forti & felici obloqui, & vas argenteum, quod extra ſortem ab exercitu ſibi concedi rogabat, publice negare fuerit auſus. *(d)* Idem apud Svecos obtinuit, datusque Regi ager, quem *Upſalodium* appellarunt, exiguus initio, ſed quem ſucceſſu temporis bona caduca, publicata, & Regum ipſorum propria valde auxerunt. Merentur omnia conferri, quæ nuperrimus Hiſtoriæ Francicæ Auctor LUDOVICUS LE GENDRE in nitidiſſimo *de Moribus Gallorum*

(a) TACITUS de *Moribus Germ.* c. 12. (b) TACITUS c. 15. (c) c. 26.
(d) GREGORIUS TURONENSIS. L. 2. c. 27.

lorum Libello (*a*) ANECDOTORUM SVECICORUM SCRIPTOR (*b*) ſagaciſſimus in hanc rem afferunt. Talia exempla adverſus illos valitura eſſe exiſtimo, qui univerſalem terrarum occupationem vice populi a Principe in ipſis gentium initiis factam jactant, cum prona, ni prorſus fallor, conſequentia afferatur: cui certa agri portio titulo ſingulari & dominii jure aſſignatur, ad illum eodem dominii jure univerſa non pertinent. (*c*) Sed redeamus eo, unde digreſſi ſumus. Ager Romuli, ſive patrimonium eum dicas, ſive rem dominicam, extincto Rege ſane publicus populi Romani, inde per uſusfructus ſpeciem ad Numam delatus, nunc eodem jure, imo forte poſt longiſſimum temporis lapſum alio meliore ad Tullum Hoſtilium pertinere videbatur: Hunc Rex illis, qui agros non habebant, viritim dividere juſſit, quod ipſe privatis opibus abundans iſtis proventibus minus indigeret, egenæ multitudinis, ut videri volebat, miſertus: reapſe ut Regnum nova benevolentia firmaret, conſilia a placidis Numæ inſtitutis, quibus hactenus aſſveverant Romani, vehementer abhorrentia iſto munere longe gratiſſimo commendaret, plebemque univerſam cum in comitiis tum in caſtris ſibi quam obſequentiſſimam faceret.

IV. Tullo Romæ regnante imperitabat Albæ C. Cluilius rerum novarum ſtudioſiſſimus. Cum uterque materiam excitandi belli ſtudioſe quæreret, ea facile inventa eſt, mutuæ deprædationes; ſupererat ut bello color reperiretur. Convenerat olim inter utrumque populum, uter prius res repetentes legatos aſpernatus dimiſerit, ut in eum omnes expetant belli clades. Prior legatos miſit Alba- *Bellum Albanum.*

(*a*) *Hiſtoire de France* T. III. p. 46. (*b*) p. 6 ſeq. (*c*) DAN. GEORGIUS STRUBIUS, in doctiſſ. Diſſ. *de origine Nobilitatis Germanicæ* c. 3. Lugd. Batav. 1717. ſub Præſidio GERH. NOODTII publice defenſa.

Albanus, certa ſpe, fore, ut Romanus ferox res neget; verum legatorum ſocordia, ſolertiam Cluilii corrupit. Hi blande & benigne hoſpitio excepti, læti Regis Romani convivium celebrant, tantiſper Tullus per ſuos & res repetit prior & Albano neganti bellum indixit, dolo uſus adverſus hoſtem clandeſtinum forte bono, ſi ea ſpectes, quæ palam gerebantur, ſane malo & contra fidem. Ipſam dimicationem mors Cluilii in caſtris avertit, quem ſummo mane in prætorio ſine ullo violentæ necis veſtigio exanimem invenere, fato ſuo functum (neque enim in excelſo faſtigio collocatos aut in re magna occupatos a repentina morte liberos pronunciare auſim) quamvis eundem, ſi luculentiora exſtarent indicia, artibus ingenioque Tulli periiſſe haud invitus crederem.

Singulari certamine ſiniendum. V. Metius Fufetius (*a*) Albanorum Dictator, Cluilii exemplo territus, vel naturali animi inconſtantia ductus, dato colloquio, ſuam pacis cupiditatem profeſſus eſt. Satis placebat, quod Tullus afferebat, ut populorum alter alteri cum bona pace imperitaret. De eo ambigebatur quam maxime, cui imperandi, cui parendi conditio deferri debeat. Comtæ ſunt Orationes & Dictatoris Albani & Romani Regis, quas habet DIONYSIUS, (*b*) ita enim uterque dixiſſe videri poterat, niſi tamen illæ nimium græciſſent. Jactant Albani generis antiquitatem, Græcam originem, ad ſe omnium in Italia Gentium imperium pertinere, eo rectius eſſe, ut ipſi parentes, naturæ ordine ſervato, poſteris ſuis dominentur, ſe illibatam habere civitatem, conſtantemque Reipublicæ ordinem, cui præ illa barbaro, hoc eſt, Hetruſco & Sabino ſangvine contaminata colluvie, & perpetuis diſcordiis exercita gente regnum

(*a*) CAROLUS SIGONIUS, *Emendationum* L. I. pag. ed. Ald. 87.
(*b*) Lib. III. c. 10. 11.

Digitized by Google

regnum debeatur. Ad hæc ibidem eleganter Tullus, & copioſe; hoc autem veriſſime: ἵνα δὲ συλλήβδην εἴπω, τοῖς μέλλουσιν ἑτέρων ἄρξειν δύο προσεῖναι δεῖ ταῦτα, τὴν ἐν τῷ πολέμῳ ἰσχὺν, καὶ τὴν ἐν τῷ βουλεύεσθαι φρόνησιν, ἃ περὶ ἡμᾶς ἐστιν ἀμφότερα. Sane in ea ſententia fuit Romanorum Rex, ut non modo ſuas opes Albanas ſuperare, ſed ſingulos etiam ſingulis ita præſtare crederet, ut Fufetio, qui paucorum Duello rem finiendam eſſe contendebat, non illubenter adſtipularetur.

VI. De Certaminibus ſingularibus, quid poſt CAROLUM CANGIUM, (a) HENRICUM BANGERTUM, (b) JUSTUM GEORGIUM SCHOTTELIUM, (c) JOACHIMUM JOHANNEM MADERUM, (d) EPHRAIMUM GERHARDUM, (e) JOANNEM GVILIELMUM JANUM, (f) a me afferri poſſit, non video. Cauſas tamen ejusmodi certaminum ordine collocaſſe & collegiſſe in unum, non injucundum fore judico. In ſacris apud Majores noſtros augurii loco habitum fuit duellum. Ita enim TACITUS: (g) *Eſt & alia obſervatio auſpiciorum qua gravium bellorum eventus explorant Ejus gentis, cum qua bellum eſt captivum quoquo modo intereeptum, cum electo popularium ſuorum, patriis quemque armis, committunt, victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur.* Quod ad res profanas attinet aliquando immenſum gloriæ ſtudium & fortitudinis laus cum ſibi tum genti vindicanda, animos juveniles incendit, quo Titi Manlii Torquati & M. Valerii Corvini exempla decantatiſſima, & in recentiori ætate, pugna inter Joannem ex nobiliſſima Truchſeſſiorum Waldpurgenſium proſapia, Sonneburgium Comitem, Germanum, & Antonium Mariam

De his generatim.

(a) in *Gloſſar. v. Duellum.* (b) in *Not. ad Chron. Sav.* L. 2. c. 24. (c) de *ſingular. & antiquis in Germania Iudiciis* c. 28. (d) in Diſſ. *de Judicio duellico:* (f) in Diſſ. *de Dueller. origine & progreſſu.* (g) c. X. de *Mor. Germ.*

riam Severinatem, Imperatoris Veneti filium, commiſſa pertinent. (*a*) Aliquando præmium Victori propoſitum feroces ſpiritus magis impulit, ſæpenumero ampliſſimum, regnum puta aut regium connubium, uti Haldanum Svecum Duello contra Grimmonem, pugilem, procum importunum, ſuſcepto, Hatheri Norwegiæ Regis filiam meruiſſe apud KRANTZIUM *in Rebus Danicis (b)* legimus, nonnunquam viliſſimum, femur forte inter fercula appoſitum de quo, cum ſtrenuiſſimo dari ſoleat inter Celtas, haud raro armis diſceptatum eſſe ATHENAEUS *(c)* memorat. Aliquando mores gentis, quod de Germanis armis lites diſcernere ſolitis teſtatur VELLEJUS PATERCULUS, (*d* & de Umbris Celtica progenie affirmat NICOLAUS DAMASCENUS apud STOBAEUM, (*e*) aut lex qualis fuit illa Frothonis Dani apud SAXONEM GRAMMATICUM, *(f)* litigantes vel invitos in illud diſcrimen conjecit. Sunt lites vel de re publica vel de privata. in his vel de capite hominis, vel de bonis ejus & juribus diſceptatur.. Sane duellis non modo veneficia. homicidia, adulteria, furta, incendia fuiſſe vindicata, ſed finium quoque regundorum judicium, depoſiti actionem. ſtatus controverſias iſtis Ordaleis, ut barbare vocari ſolent; fuiſſe terminatas, LEGES LONGOBARDORUM, (*g*) BAJOARIORUM, (*h*) BURGUNDIONUM, (*i*) SAXONUM, (*k*) FRISIONUM, (*l*) ANGLIORUM (*m*) abunde loquntur. Imo juris quæſtionem, an in ſucceſſione a latere venientium filii fratrum cum patruis ſint admittendi? in Comitiis Stelen-

(*a*) PHILIPPUS CAMERARIUS *Meditat. Hiſt.* Cent. II c. 21: PETRUS BEMBUS *rerum Venetarum* L. 1. (*b*) L. II. c. 3. (*c*) L. IV. c. 13. (*d*) L. II. c. 118. (*e*) *Sermone* XII. (*f*) L. V. *Hiſtor. Dan.* ut edita eſt a STEPHANO JOHANNIS STEPHANIO p. 86. (*g*) L. II. Tit. 55. c. 39. (*h*) Tit. 8. §. 2. IX. c. 4. XI. c. 5. (*i*) Tit XLV. (*k*) Tit. XV. (*l*) Tit. XI, c. 3. (*m*) Tit. XV.

Digitized by Google

Stelenſibus, Ottone M. Imperante, per Duellum eſſe deciſam, WITECHINDUS (*a*) idoneus auctor eſt. De re publica & de principatu inprimis Horatiorum & Curatiorum exemplum eſt luculentiſſimum pæne dixiſſem unicum, niſi me in aliam ſententiam conjeciſſent verba Tulli apud DIONYSIUM (*b*) de hoc ritu: *ὦ πολλοὶ βάρβαροί τε καὶ ἕλληνες εἰς ἔχθη καταστάντες, οἱ μὲν ὑπὲρ ἡγεμονίας, οἱ δὲ ὑπὲρ ἀμφισβητησίμου γῆς ἐχρήσαντο.*

VII. Quæ ſunt autem illæ gentes, quam plurimæ e Barbaris pariter atque Græcis, qui iſta ratione lites ſuas compoſuerunt? In SACRIS PAGINIS (*c*) Goliathi Gathenſis cum Davide Duellum memoratur, qui Iſraëlitarum fortiſſimum ea lege provocarat, ut pugnæ exitus ſimul de gentis utriusque fortuna decerneret. Verum enim vero cum ibidem relatum non legamus, utriusque populi reges atque principes in ejusmodi certamen fœdere prius inito compromiſiſſe, Goliathum privato potius auſu & virium fiducia, quibus nec ſuorum quisquam facile diffidebat, certamen flagitaſſe crediderim, quam ut publico nomine iſtam pugnam iniiſſe mihi perſuadeam, quod de fœda fuga & ſtrages, quam Philiſtæi robuſtiſſimo illo viro a puero funditore divina virtute proſtrato ſunt paſſi, ſatis comprobat. ISAACUM ABARBANELEM, virum inter ſuos doctiſſimum in eadem verſari ſententia, tradit Summe Rever. BUDDEUS in *Specimine Jurisprudentiæ Hiſtoricæ*. (*d*) Invenio tamen apud POLYÆNUM (*e*) & FRONTINUM (*f*) ſtratagematum ſcriptores pugnam inter duos Exercituum Duces Melanthum Athenienſem & Xanthum Bœotium, qui cum lis inter utrumque populum de Melænis Caſtello in finibus ſito eſſet exorta ſuo certamine eam diremerunt. De Peloponnenſi imperio inter Hyllum Heraclidam & Echemum

Speciatim de his, quæ principatus cauſa ſuſcipiuntur.

B 2 mum

(*a*) *de geſt. Saxon.* L. II. (*b*) L. III. c. 11. (*c*) 1. SAM. XVII. (*d*) §. XXIX.
(*e*) L. I. c. 29. (*f*) L. II. c. 5. n. 41.

Digitized by Google

mum Tegeatarum Regem exercitu utroque inſpectante dimicatum eſſe, DIODORUS SICULUS (*a*) auctor eſt. Sed & PAUSANIAS in *Eliacis* (*b*) refert Bellum inter Oxylum Aetolum & Dium Eleum de principatu duello duorum militum ſopitum fuiſſe, cujus ea fuit fortuna, ut Degmenus Eleus Sagittarius a Pyræchma Aetolo funditore victus ſit. Trecentorum Argivorum cum totidem Laconibus pugna, ut paucorum diſcrimine utriusque populi de Thyreatica regione controverſia extingveretur, ab HERODOTO (*c*) deſcribitur. Nec abs re fuerit domeſticum annectere exemplum majori fide quam elegantia a GREGORIO TURONENSI (*d*) conſignatum. *Poſt hæc Vandali*, ait antiquiſſimus hiſtoriæ Francicæ ſcriptor, *a loco ſuo digreſſi cum Gunderico Rege in Gallias ruunt. Quibus valde vaſtatis, Hiſpanias appetunt. Hos ſecuti Sueni i.e. Alamanni Galliciam adprehendunt. Nec multo poſt ſcandalum inter utrumq; oritur populum, quoniam propinqui ſibi erant: cumque ad bellum armati procederent, ac jam jam in conflictu parati eſſent, ait Almannorum Rex: Quousq; bellum ſuper cunctum populum commovetur: ne pereant quæſo populi utriusque phalangæ: ſed procedant duo de noſtris in campum cum armis bellicis & ipſi inter ſe confligant. Tunc ille, cujus puer vicerit, regionem ſine certamine obtinebit. Ad hæc cunctus conſenſit populus. ne univerſa multitudo in ore gladii rueret. His enim diebus Gundericus Rex obierat, in cujus loco Tranſimundus obtinuerat Regnum. Confligentibus vero pueris, pars Vandalorum victa ſuccubuit. Interfectoq; puero placitum egrediendi Tranſimundus ſpopondit, ut ſcilicet præparatis itineris neceſſariis, ſe a finibus Hiſpaniæ removeret.* Similis pugna inter Hundingum Saxonum Doctorem & Roam ferociſſimum Danorum Regem de Cherſoneſo Cimbrica pugnata eſt, in quo prælio

(*a*) *Biblioth. Hiſtor.* L. IV. p. 261. *editore* LAUR. RHODOMANNO.
(*b*) L. V. c. 4. *Deſc. Vet. Græc.* (*c*) L. I. c. 15. (*d*) *Hiſt. Francica* L. II. c. 2.

prælio Hundingus Roæ, Jutia Danis ceſſit, rem prolixius narrante KRANTZIO (a) in *Saxonia*.

Certamen Horatiorum & Curatiorum.

VIII. Nunc vero ipſam pugnam videbimus & ut DIONYSIUS loqui amat, τὰ μετὰ ταύτην γενόμενα πάθη θεατρικαῖς ἐοικότα περιπετείαις, eam ob rem accuratius inſpicienda. Præliatores utrinque tres fratres; utrius populi Horatii, utrius Curiatii fuerint, olim jam dubitatum eſt; plures tamen, LIVIO (b) teſte, inveniebantur, qui Romanos Horatios vocarent. An fuerint tergemini; an eodem omnes die nati; an utrinque conſobrini; uti narrat DIONYSIUS, (c) non magis certum eſt. Valde eo inclinat animus, ut iſta ornatus cauſa confiсta credam. In ipſa etiam pugnæ deſcriptione probatiſſimi autores in diverſa abeunt: LIVIUS, duos Romanos alium ſuper alium, vulneratis tribus Albanis exſpirantes corruiſſe memorat; tum Horatiorum tertium integrum & ferro intactum ſaucios Albanos & fuga ſimulata ſegregatos tribus certaminibus confeciſſe. Ego DIONYSIUM potius ſequar narrationis ſimplicitate commendabilem; ex hujus ſententia Albanorum natu maximus prior Romanum occidit, cujus tamen necem mox ultus eſt frater; Hic vero pariter Albanorum alteri ejus facinoris dedit pœnas, quamvis, ſi vulnera ſpectes, ipſe non inultus aut inglorius moreretur. Supererant Horatius forte integer & qui cum hoc manum conſeruerat, hoſti haud impar, & alter Albanus, poplitem ſaucius, & vix ſe ipſum ſuſtinens, magno tamen animo, cæſo adverſario, fratri ſuppetias laturus. Tum callidiſſimo commento fugam ſimulavit Romanus, & ubi hoſtium alterum propius ſequi, alterum longius abeſſe vidit, ſimul animo reputans, victoriæ ſpem, fratrum ultionem, patriæ ſalutem in ſe uno & inſigni quodam ſuo facinore eſſe repoſtam, magno impetu in proximum Albanum facto, eum fatis ita volentibus proſtra-

(a) L. I. c. 4. (b) L. I. c. 24. (c) L. III. c. 13.

poſtravit; inde & ultimum ſaucium & ſemianimem nullo negotio confecit. Addit LIVIUS: *Romanus exſultans, duos, inquit, Fratrum manibus dedi: tertium cauſſæ belli huiuſce, ut Romanus Albano imperet, dabo*, Vah! quam eleganter, quam ingenioſe! ſed valde vereor, ne illa apud homines naris emunctioris mentis nimis compoſitæ videantur, quæ ex DIONYSII etiam ſententia plane ſunt falſa.

Quo jure ſuſceptum. IX Pugnatum eſt. Quo jure pugnatum ſit nunc videamus. HUGO GROTIUS in æterno opere (*a*) ejusmodi certaminibus juſtitiam externam, quam ex gentium moribus deducit, omnino tribuit, internam vero negat, & adverſus omnia Juris Naturæ officia pugnantem peccare aſſerit, ſed iis uſus rationibus, quæ, ſi absque exceptione admittantur, bellorum juſtitiam prorſus everterent. Aliam itaque viam ingrediendam eſſe cenſuit dudum Summe Rever. BUDDEUS, (*b*) cui ſententia GROTII placet, rationes vero non placent. *Enimvero*, inquit idem *res, quæ belli cauſam præbet, ejusmodi eſt ut confici plane ſine ullo prælio ac certamine poſſit, aut omnino prælio ejusq; eventui committenda. Illud ſi ſit tum prælia multorum tum ſingulorum certamina injuſta eſſe pronuncio Namque & unius hominis ſine ſumma neceſſitate mortis periculo objicere vitam nefas eſt. Sin expediri ſine certamine nequeat, rurſus nefas unius aut paucorum hominum fortunæ totius populi ac civitatis ſalutem concredere. Si res bello digna agitur, recte ait* GROTIUS, *ut multorum innocentium ſalus, pro ea totis viribus nitendum eſt.* Sed nec ita res ſatis expedita videtur. Fingas hoſtes offerre ſingulare certamen ea lege, ut victus populus decimetur, aut quod in SACRIS LITTERIS (*c*) relatum legimus, ut devictæ gentis civibus dexter oculus eruatur: Fingas alterius populi Regem, cui uni adminiſtratio reipu-

(*a*) *de Jure Belli & Pacis* L. III. c. 20. §. 43. (*b*) *In Jurispr. Hiſt.* §. 24.
(*c*) 1. SAMUEL. XI.

reipublicæ commiſſa eſt, conditionem accipere, jure ne an injuria id fit? Ego accedo GROTIO, qui pro multorum innocentium ſalute totius viribus nitendum eſſe, ait. Sed ponas idem accidiſſe in Republica Democratica, & communi populi ſponſione rem eſſe approbatam. An adhuc nefas erit, quod juſſerunt omnes? Pone & illud, quod in bello Ammonitarum cum Jabeſitis uſu venit, hoſtium potentiam eſſe maximam, ſuam vero exiguam, ſpem præterea auxilii nullam, aut pereundum eſſe paulo poſt omnibus, aut certamini æquo marte ſuſcipiendo rem omnem eſſe committendam. Ex his ſane patet, aliquando & pro innocentium ſalute a paucis dimicari & poſſe & deberi. Cæterum duæ quæſtiones ſegregandæ ſunt, an juſte imperetur ſingulare certamen? an juſte pareatur? De priori BUDDEUS, de poſteriori GROTIUS, nos de utroque. Et illa quæſtio omittenda non eſt, ſi de alia quavis re alicujus momenti, puta agro aut regione aut ſimili agatur. Illa bello vindicari poſſe conſtat, an & certamine ſingulari? innocentium ſane ſalutem iſta non continent. Ego in univerſum ita ſtatuo; de cauſæ juſtitia cuivis genti eſſe laborandum, de qua, ſi conſtiterit, in arbitrio utriusque populi eſſe ſitum, qua ratione bellum gerendum, an pugna omnium adverſus omnes, quod bellum internecinum dici poſſet, an plurium eorumque fortiorum adverſus plures fortioresque, quæ communiſſima belli ratio, an paucorum adverſus paucos, an ſingulorum, quæ duo certaminum genera in noſtra ſunt quæſtione; niſi cauſa adeo ardua ſubſit, ut totis viribus nitendum ſit. Cauſa ardua eſt verbo: innocentium ſalus, ſive, ut apertius ſententiam dicam, quotiens ex illa pugna ſingulari tale damnum oriri poteſt ex civibus uni atque alteri, cujus vitandi cauſa naturali libertate ſeſe abdicaſſe, civilique ſocietati nomen dediſſe præſumi poſſunt. Finis omnium ſocieta-

tum

tum eſt ſingulorum conſervatio, quorum adeo cauſa contra fidem olim datam per pugnæ ſortem prodenda non eſt, & qui iis legibus depugnant, caput ſuum ſceleri obligant. In reliquis cauſis bello, quod numero pugnantium a paucorum certamine diſtat, talem pugnam etiam prætulerim, ut mitius remedium. Appoſite alio in loco magnus ille GROTIUS: *(a) Videtur id, ſi non ab ipſis recte fieri, certe a civitatibus poſſe acceptari, ut minus malum.* Loquitur ibidem de eo caſu, ſi duo, quorum controverſiæ totos populos graviſſimis malis ſunt implicituræ, inter ſe parati ſunt armis decernere: ſed ratio allata, cujus pondus tantum virum latere non poterat, ad noſtrum etiam negocium pertinet, in quo obſequium quoque probo pugnantium, cum imperium juſtum ſit. Quid enim id ad militem, num ſolus cum hoſte uno depugnet, an cum aliis adverſus plures, an cum plurimis adverſus plurimos. Ut juſte agat, cauſa facit, non commilito. Sed revertamur ad gentes; juſte paucis committunt pugnam, an prudenter id faciunt? Non ajo. Bellum alea eſt, tale certamen bello adhuc incertius dici poteſt, fortunæ multum licet in talibus, cui in rebus arduis ſapientiores non fidunt. Pugna finita victores lætantur, victi injuriam ſibi factam credunt, quo fit, ut brevi poſt tempore, illis cædibus incaſſum perpetratis, bellum haud paulo atrocius exardeat. Poſt tricenorum pugnam Lacones & Argivos infeſtioribus animis concurriſſe, ex HERODOTO (*b*) conſtat. Tullum Hoſtilium Regem ferocem, qui & viribus plus valebat, ſi Curiatii viciſſent, victas manus daturum fuiſſe ego credam? qui Albanorum Dictatorem non quieviſſe ex probatiſſimis ſcriptoribus intelligo. Certe abſque illo certamine neque Metius Fufetius triſti & crudeli ſupplicio, neque Albana urbs repentino excidio periiſſet.

X. Ho-

(*a*) L. II. c. 23. §. 10. (*b*) l. c.

X. Horatius, Cæſis Curiatiis, revertebatur domum, ovans, & tergemina ſpolia præ ſe gerens, quæ ubi ſoror Virgo, uni ex Curiatiis deſponſa, ſuper Fratris humeros agnovit, averſata illius oſculum, (a) & flebiliter nomine ſponſum mortuum appellat, & recenti cæde exultantem fratrem, impotenti amore correpta, duriter increpat: (b) Ille, animis a pugna calentibus & victoria ferocibus, puellam fratrum mortuorum vivique, & patriæ oblitam ſtricto gladio transfigit. *Atrox viſum id facinus*, ait LIVIUS, (c) *Patribus plebique; ſed recens meritum facto obſtabat, tamen raptus in jus ad Regem. Rex ne ipſe tam triſtis ingratique ad vulgus judicii, aut ſecundum judicium ſupplicii Auctor eſſet; concilio populi advocato, Duumviros, inquit, qui Horatio perduellionem judicent ſecundum legem, facio. Lex horrendi Carminis erat, Duumviri perduellionem judicent. Si a Duumviris provocarit, provocatione certato, ſi vincent caput obnubito, infelici arbori reſte ſuſpendito. Verberato vel intra Pomœrium vel extra Pomœrium. Hac lege Duumviri creati qui ſe abſolvere non rebantur ea lege ne innoxium quidem poſſe, quum condemnaſſent, tum alter ex his: P. Horati, tibi perduellionem judico, inquit, I Lictor, colliga manus. Acceſſerat Lictor, injiciebatque laqueum, tum Horatius, auctore Tullo, clemente legis interprete, Provoco, inquit, ita de provocatione certatum ad populum eſt.* Hæc LIVIUS, quæ etſi ſatis videantur eſſe luculenta intenſius tamen rem meditanti multiplicem peperere dubitationem. Duumviri perduellionis an tum primum facti, an veteri jam inſtituto creati? Qui perduellio judicari poterat, cum eſſet parricidium? Lex illa horrendi carminis an a Tullo, an a Numa, an vero a Romulo lata? Fuitne Lex an Privilegium?

Facinus Horatii.

(a) FESTUS v. *Sororium, Tigillum.* (b) DIONYSIUS L. III. c. 21. (c) L. I. c. 26

Ad quem provocatione erat certandum? Quid illa ſibi volunt: *Duumviros abſolvere ea lege ne innoxium quidem potuiſſe?* & illa: *Tullus clemens legis interpres?* cum & iſta: *de provocatione certatum eſt ad populum?* De his, inquam, omnibus diſſenſus varii extant Virorum Clariſſimorum CATELLIANI COTTÆ, HENRICI GLAREANI LORITI, GVILIELMI GODELEVÆI, JOANNIS VELCURIONIS, TANAQVILI FABRI, JOANNIS FRIDERICI GRONOVII, JOANNIS DUJATII, JOANNIS CLERICI, (a) PAULI MANUTII, (b) CAROLI SIGONII, (c) HADRIANI TURNEBI, (d) JACOBI RÆVARDI, (e) ſed quos ordine recenſuiſſe nihil attinet. Si quem hæc angit cura, illorum ſententias cum iis, quæ jam commentabor, conferat, & cui & in quibus acceſſerim, in quibus diſceſſerim, quid novi attulerim, nullo negotio deprehendet.

Paricidium. VI. Paulo autem altius res omnis eſt repetenda. Romulum legem de Homicidio tuliſſe PLUTARCHI (f) auctoritate conſtat; ſed & Numæ Pompilii lex apud FESTUM legitur his compoſita verbis: Si quis hominem liberum dolo ſciens morti duit paricida eſtod. An hæc Teſtimonia adverſis frontibus inter ſe pugnant, aut quæ repetitæ prælectionis cauſa? Salva res eſt. Edixerat Romulus in hæc Verba: SI QVIS HOMINEM MORTI DUIT PARICIDA ESTOD, cujus legis ῥητὸν, cum quosvis Homicidas, etiam qui imprudentes in iſtud crimen incidunt, complecteretur, διάνοιαν accuratius & ſecundum ſtrictioris interpretationis Regulas expreſſit Numa, idemque, pro ſua Pietate religiones ab occiſore ἀκουσίῳ obſervan-

(a) *Comment. Liv.* ad h. l. (b) *De Legibus Rom.* (c) *De antiquo Jure Civ. Rom.* L. II. c. 18. (d) *Adverſar.* L. XVII. c. 7. (e) *Ad I. L. XII Tab.* c. XXVII.
(f) ἴδιον δὲ τὸ μηδεμίαν δίκην κατὰ πατροκτόνων ὁρίσαντα πᾶσαν ἀνδροφονίαν πατροκτονίαν προσειπεῖν.

vandas adjunxit in hunc modum: SI QVIS HOMINEM LIBERUM DOLO SCIENS MORTI DUIT PARICIDA ESTOD SEI (*a*) IMPRUDENS SE DOLO MALOD OCCISIT PRO KAPITE OCCISEI ET NATEIS EJUS ENDO CONCIONE ARIETEM SOBICITO. Quæ Homicidii dolo perpetrati pœna fuerit antiquiſſimis temporibus non ita in aprico eſt. Capitis non fuiſſe, fere conſtat. Quis enim leges Regias ferro ultore armare præſumat, cum illud in Lege Cornelia de Sicariis TRIBONIANUM (*b*) perperam feciſſe manifeſtum ſit. Pœna Sicariis a Sulla Dictatore irrogata erat aqua & igni interdictio, in cujus locum MARCIANI ICti ævo ſucceſſerat Inſulæ deportatio (*c*) & omnium bonorum ademtio. Forte pro plurimarum gentium more illud delictum certo pecudum numero aut frugum vi luebatur, ſi facinus erat eximiæ atrocitatis, reus etiam exilio mulctari poterat. Pertinet huc PLINII (*d*) locus admodum luculentus: *Frugem aratro quæſitam, furtim noctu paviſſe ac ſecuiſſe puberi XII. Tabulis capitale erat, ſuſpenſumque Cereri necari jubebant, gravius quam homicidio convictum:* ex quo haud obſcure colligas, homicidium in XII. Tab. non capitale fuiſſe, quæ cum propius a Regum ætate abſint, neminem in hanc ſuſpicionem adduci patientur, antiquitatis rigorem Sullanis temporibus eſſe mitigatum. Sed & hoc quæri poteſt, cur Homicidae iſta tempeſtate graviori, ut videtur, vocabulo Parricidæ appellati ſint. Clare FESTUS: *Paricida non utique is, qui parentem occidiſſet dicebatur, ſed qualemcunque hominem.* Novi equidem quid dici

(*a*) *Ita & ſcripſeramus in Diſſ. noſtra de* NUMA POMPILIO c. III. §. 4. *Sed typothetarum incuria duæ illæ voces* IMPRUDENS SE *omiſſæ ſunt, quod ſphalma, cum ſenſum legis plane evertat, hic oſtendiſſe licebit.* (*b*) §. 5. *Inſt. de Publ. Jud.* (*c*) l. 3. §. 5. ff. *ad L. Cornel. de Sicariis.* (*d*) *Hiſt. Nat.* L. XVIII. c. 3.

ſoleat aut poſſit: Romulum parricidium verum inter ea retuliſſe, quæ nos nec facere poſſe credendum eſt: & ut ſimul homicidii atrocitatem omnibus quam manifeſtiſſimam faceret, nomen funeſtum, cujus nullum futurum erat exemplum, facinori, quod metuendum erat, applicaſſe. Sed hæ ſunt Phaleræ ſententiæ communis, quæ, intus & in cute inſpicienti fucum facere nequeunt. Ut de vocum proprietate a Legislatoribus imprimis obſervanda nihil dicam, quis ſibi perſvadeat Romulum nomen, cum rem damnarit, immo ignorari vellet, ſolicite in legibus conſervaſſe. Satius eſt neſcire vitia, quam per leges noſſe. Neque ea nominis vis eſt atque auctoritas, ut ea ſeſe deterreri patiatur, quem pœna non terret. Quare mihi in mentem venit, *Paricidam* eſſe, *qui parem occidit*, diverſumque plane a *Parricida* eo, qui *parentem occidit*, quo crimine A. U. C. DCLI. primus ſeſe obligaſſe traditur Publicius Malleolus culleo ea propter inſutus. *Paricidium* adeo antiquiſſimum ſcelus inter Romanos, recentius flagitium *parricidium*, quæ nomina tamen incauti poſteri confuderunt. Diſcrimen tale mihi admodum veriſimile videtur, non modo ex ea ratione, qua ULPIANUS *(a)* ad SABINUM utitur, *quod ad jus naturale attinet, omnes homines eſſe æquales* ut ita parem occidat, qui hominem occidit, ſed magis adhuc quod hominem Romanum occidens civem occidiſſe dicatur, qui pari cum homicida jure in eadem Republica vixerit. Pares non ſunt, qui civitatis Romanæ jure carebant, peregrini, *hoſtes* a veteribus appellati, ut diſerte teſtantur VARRO *(b)* & FESTUS, *(c)* quos occidiſſe, nullum aut levius facinus habebatur. Nec pares ſunt, qui in eadem Republica, impari tamen jure vivebant. Ita Pater impune occidebat filium, Dominus ſervum

(a) l. 32. de R. I. (b) *de Lingua Lat.* l. 4. (c) voce Hoſtis.

Digitized by Google

vum, forte & Maritus uxorem, quod de male merente ex DIONYSIO certum eſt. Aſt qui parem occidebat, nec ſervum, nec hoſtem, nec filium, ſed HOMINEM LIBERUM, ingenuum, civem Romanum, ille *paricida* erat &, quod *pari*, id eſt cive, injuria & dolo malo rem publicam orbaſſet, ſuam patiebatur pœnam. Juvat egregie quod apud FESTUM tribus vicibus illud vocabulum una, non geminata litera canina ſcribatur: ita enim in editione DACERIANA legitur. *Parici Quæſtores: paricida;* & iterum: PARICIDAESTOD, cum patricidium geminatum R. deſideret. Hæc mihi non videntur plane eſſe improbabilia, quamvis intra conjecturas omnia conſiſtant. Hoc pro certo habeo, illum, cui hæc incondita atque incongrua videbuntur, in veritatem graviter eſſe peccaturum, ſi ea, quæ vulgo jactantur, non prorſus abſurda pronunciaverit.

XII. De Homicidio cautum ſatis erat a Romulo & Numa; nunc nova viſio offerebatur Tullo, cædes Horatiæ, quæ paricidio atrocius quid continere videbatur. Prima erat Sororum in Romana Gente, quæ inaudito facinore a fratre cædebatur, cui & leges de Paricidio debuerant eſſe ſanctæ, & illa naturalia agnationis jura adhuc ſanctiora. Cauſa doloris illi ſat gravis, & miſerabilis magis, quam culpanda, & de qua, an culpam contineat, cognitio ad patrem pertinebat. Erat & exemplo pernicioſum, ex quo colligi poterat, bene de Republica meritis quidlibet audendi liberam eſſe poteſtatem. Forte & illud cauſam onerabat, quod in conſpectu Regis & Populi Romani cædes facta ſit. His tamen obſtabat recens meritum, & amabat Tullus Horatium, Rex pugnax Virum fortem & ſtrenuum, Albæ nunc Dominus, devictæ inſtrumentum. Intercedebat Pater, & jure cæſam affirmabat. Quotus vero quiſque erat ex populo, quem non tanti Viri caſus commonebat, cum nec rex tam triſtis in-

Cædes Horatiæ & de ea Judicium,

Digitized by Google

gratique ad vulgus judicii, aut ſecundum judicium, ſupplicii autor eſſe vellet. Duumviros itaque fecit, qui Horatio perduellionem ſecundum legem judicent, triſtisque ſupplicii habeantur Auctores. Duumviros tum primum creatos fuiſſe ex eo colligo, quod antea nec ejusmodi facinoris, nec ſimilis legis (hanc enim a Tullo latam eſſe mox probabimus) nec ipſorum denique duumvirorum nomen aut memoria exſtet. His præſcripta erat ſolennis formula, quam legem horrendi *carminis* appellat LIVIUS, non *criminis*, quod primus recte obſervavit M. ANT. COCCIUS SABELLICUS, ſed ea, qua ne innoxium quidem ſe abſolvere poſſe rebantur. Non enim Horatii nomen ut perduellionis rei, qui, ut ULPIANUS *(a)* in *diſputationibus* habet, hoſtili animo adverſus principem vel rempublicam animatus ſit, deferendum erat ad duumviros, & ipſe ab his judicandus, ſed perduellio judicanda a duumviris Horatio, hoc eſt, in re manifeſta a duumviris, lata ſolenniter ſententia Horatium per duellem, ideſt, ut GAJUS (*b*) ICtus *ad Leges XII. Tabb.* eleganter explicat, hoſtem populi Romani eſſe declarandum, ut capite obnupto infelici arbori ſuſpendi poſſet. Civem enim Romanum capitali ſupplicio puniri non poſſe & antiquitus obtinuit, & poſtea lege Porcia cautum eſt, niſi hoſtis fuerit reipublicæ, aut ſaltim fictione juris pro tali ſit habitus. Fuiſſe autem iſtud horrendum Carmen non legem ſed privilegium & formulam judicibus datam, varia produnt indicia. Silet LIVIUS illam Romulo aut Numæ deberi, quod facturus non erat, ſi origines illi antiquiores fuiſſent temporibus, in quibus enarrandis ipſe tum verſabatur. Verba legitima ſunt, quæ habet LIVIUS, quis truncata credat? aut ſi credit, factum probet. Pœnam continent, delictum non continent, niſi ex mea ſententia uni Horatio ap-

(*a*) l. 1. *D. ad. L. Jul. Maj.* (*b*) l. 234. de V. S.

applices illa, & poſteriori loco poſita prioribus ſequentem in modum jungas: *Duumviros qui Horatio* (manifeſtæ cædis reo) *perduellionem judicent ſecundum legem, facio: Duumviri perduellionem judicent. Si a Duumviris provocarit, provocatione certato, ſi vincent* & quæ ſequuntur. Et quale illi, qui contrariæ ſententiæ patrocinium ſuſcipiunt, delictum olim, Romulo aut Numa legem ferente, hic ſubfuiſſe dicent? an Paricidium? illud capitale non fuiſſe ſupra adſtruximus; an aliud paricidio majus & atrocius? ſed hujusmodi apud idoneos auctores nulla apparent veſtigia. Denique, qualis fuit illa lex, quale judicium, in quo ne innoxii quidem abſolvi poterant? an ea fuit legislatorum Romanorum imprudentia, ut tam iniqua ſtatuerent, ea populi patientia, ut iſta ferret, ea Duumvirorum antea creatorum incuria & oſcitantia, ut a Duumviris Horatii cauſa creatis legis iniquitas demum fuerit agnita; ſed ita in hoc uno caſu oportebat, ut cauſa Horatii a Duumviris in periculum capitis adducti populo, ad quem provocatione certabatur, commendaretur: nec alio fine pœnam graviſſimam verbis ſane horrendis: *caput obnubito: infelici arbori reſte ſuſpendito: verberato vel intra pomœrium vel extra pomœrium*; fuiſſe dictatam credam, quam ut ii, qui nullo Juvenis amore aut miſericordia ducerentur, ſupplicii ſaltim moverentur indignitate.

XIII. Res eo jam devenerat, ut Duumvir ire Lictorem & colligare manus juberet. Tum Horatius, Auctore Tullo, clemente legis interprete, *provoco*, inquit. Hic obſervandum eſt, neque in lege horrendi carminis, neque in provocatione Horatii addi, ad quem fiat provocatio. Verum enim vero, uti religioni mihi duco, in verbis illis ſolemnibus quicquam mutare, ita fere in eam inclino ſententiam, in poſteriori loco latere mendum ex vocum nonnullarum trajectione ortum, qualia in bonos auctores librariorum inſcitia ſæpius irrepſiſſe, Critici norunt. Quid

ſi

ſi LIVIUS ita ſcripſerit: *Provoco, inquit, ad populum Itaque provocatione certatum eſt.* Sane planiſſima omnia fiunt, & clariſſima. Rex legem tulerat: *Si a Duumviris provocarit, provocatione certato.* Horatius Tullo ſuggerente & monente provocabat, ſed *ad populum.* Duumviris id videbatur inſolitum. Rex ea de re conſultus reſpondit, *ferre id verba legis* (illa vero ex compoſito ita concepta credam) *& clementiæ habita ratione, novo licet conſilio de provocatione ad populum eſſe interpretanda: Si Duumviri etiam apud populum vincent, ad ſe demum redituram cognitionem.* Satis norat Rex, non eſſe futurum, ut Horatius a populo damnaretur, ita tamen ſalva Majeſtate Imperii ſui & ſalva legis ſeveritate modus erat repertus, quo invidiam ſententiæ amoliretur, & in Duumviros conjiceret, ſimul omnem judicii illius poteſtatem populo faceret. Invenio apud Virum doctiſſimum, interpretem dici Tullum, quod velut internuncium egerit inter Horatium & Legem monito Horatio, quid per eam liceret? Sed hic, qui legem audiverat, Rege monitore non indigebat, & nimis improprie, qui monet, legem interpretari, & clementer quidem interpretari, illo loco diceretur. Idem mavult lectionem vulgarem: *Ita de provocatione ad populum certatum eſt*, cui ego FABRI emendationem præfero: *Itaque provocatione ad populum certatum*, De provocatione certari non poterat, cum illa manifeſte verbis legis contineretur. Nec de provocatione ad populum apud populum, ad regem enim iſta diſceptatio pertinuiſſet. Et ea quæ ſequuntur, argumenta Patris, jure cæſam filiam probantis ſatis evincunt non de provocatione, ſed provocatione de filii capite apud populum eſſe certatum.

Expiatio Horatii. XIV. Elegantia ſunt & ad commovendos animos perquam idonea, quæ apud LIVIUM ex arte a Patre dicuntur. Nullus etiam dubito, patris lacrymas & preces, ne ſe, quem paulo ante cum egregia ſtirpe conſpexiſſent, orbum

bum liberis facerent, pondere ſuo non caruiſſe, tum quod jure cæſam, & ni ita eſſet, patrio jure in filium animadverſurum fuiſſe, diceret, quæ nunc ex neceſſitate quadam ita fingi, eo minus dici poterat, quod nec paſſus ſit, filiæ cadaver domum ferri, nec patrio ſepulcro condi, aut alias juſtis exequiis honorari permiſerit. Infelix virginis corpus eo loco, quo cæſa, a prætereuntibus lapidibus & terra injectis, DIONYSIO (*a*) teſte, ſepultum eſt. Abſolverunt juvenem paris in omni periculo animi; ut tamen cædes manifeſta aliquo piaculo lueretur, imperarunt patri, filium expiaret publica pecunia, non ut illa data aut accepta expiatio crederetur peracta, uti iſtum locum ſatis oſcitanter interpretatus eſt MAGNUS DANIEL OMEISIUS in ſua *de expiationibus apud veteres gentiles uſitatis* diſſertatione, (*b*) ſed ſumtibus publicis, ea, ut puto, de cauſa, ut publica res, quæ manifeſtæ cædis gratia reo facta illo crimine ſemetipſam obligaverat, ſimul iſta religione ſolveretur. Rituum meminit DIONYSIUS, & LIVIUS, & optime FESTUS: (*c*) *Horatius judicio populi victor duo Tigilla tertio ſuperjecto, quæ pater ejus conſtituerat, velut ſub jugum miſſus ſubit, conſecratisque ibi aris Junoni Sororiæ & Jano Curiatio liberatus omni noxia ſceleris eſt auguriis approbantibus.* Sed iidem ritus plane ſingularis rationes tacent, quas nos ſolita nobis etiam in minimis diligentia nunc indagabimus.

XV. Viam jam ingreſſus eſt eximium noſtræ artis decus JACOBUS RÆVARDUS, dum in ſuo *ad Leges XII. Tabb.* libro (*d*) ita ſcribit: *Quia præter hoſtes nulli ſub jugum mitti conſueverant, hinc recte ratiocinabimur, ideo miſſum velut ſub jugum ab ſuo Patre Horatium fuiſſe, quia Horatio Duumviri perduellionem judicaverant, hoc eſt quia inter perduelles* *Explicatur*

(*a*) L. III. c. 21. (*b*) c. 4. (*c*) voc. *Sororium Tigillum* (*d*) c. 27.

elles populi Horatium referendum eſſe, deinde ut perduellem interimendum pronunciaverant. Sed ea præcipua eſt quæſtio, unde hic hoſtes ſub jugum mittendi fluxerit mos. Ego non dubito Jugum hic furcam eſſe, patibuli genus, quod & ſumma miſſionis ignominia & fœditas ſatis declarat, & quod diſcincti vincti & ſeminudi, quæ facinoroſorum eſt ſpecies, *(a)* tranſire cogerentur. Pœna hæc erat exercituum in deditionem acceptorum, quos vitam pactos occidere non licebat, nec ſervos ſervare erat utile; ut tamen, quo loco res ipſorum fuerint, nunquam non meminiſſent, ſervilis ſupplicii imagine notatos ad ſuos remeare ſinebat victor. Commode antiquiſſimum morem ad expiationem Horatii tranſtulere Pontifices; qui & perduellis erat, & poſtquam paſſus erat ſententiam, merito pœnæ ſervus habebatur, quod ejusmodi piaculo nunc luebatur, ut Horatius imaginaria & ſervili quidem illa morte defungeretur. Quibus adjicio, Pontifices ad legem Tulli in iſtis ritibus ordinandis ſimul reſpexiſſe, & ſupplicium, quod ex ea manebat Horatium, in illa ficta ſub jugum miſſione accurate eſſe expreſſum. Capite adoperto hoſtiles exercitus ſub jugum miſſos eſſe non conſtat, quod hic factum eſt ex ſententia legis: *ſi vincent caput obnubito.* Pergit lex: *infelici arbori reſte ſuſpendito*, cui reſpondent furca infelicis arboris imago. Vinctum fuiſſe Horatium non dubito, forte & verbera mitia addita. Novi equidem, quid alii hic dicant, de infelici arbore, quam infrugiferam interpretantur, opponuntque felici, quæ frugifera eſt: nec me latet LIPSIUM *(b)* ſcribere: *Inſtrumentum e ligno triplici, forma jugi veteris, cui appenſos homines laqueo ſtrangulamus,* (ipſe *Furcam novam* appellat) *Græcis uſurpatam vix reperiri, nec a Romanis quidem in publico, etſi ii in carcere damnatis gu-*

lam

(*a*) FESTUS v. *Jugum.* LIVIUS L. 9. c. 8. (*b*) *de Cruce* L. III. c. 7.

lum laqueo frangebant. Ego, uti facile largior, ex rei ruſticæ ſcriptoribus iſtam vocis ſignificationem poſſe probari, ita non niſi infrugiferas arbores furcarum conficiendarum cauſa fuiſſe cæſas, nondum probatum eſſe intelligo. Placet adeo infelicem arborem ipſam furcam dici, eo ſenſu, quo MINUTIUS FELIX *de Idolorum vanitate* (a) *Deus,* ait, *ligneus rogi fortaſſe vel infelicis ſtipitis portio ſuſpenditur, cæditur, dolatur, runcinatur; Et Deus æreus vel argenteus de immundo vaſculo, ut ſæpius factum Ægyptio Regi, conflatur.* LIPSIUM vero hic ipſe locus monere poterat Furcam quam ſibi novam fingit, eſſe antiquiſſimam. Quæ enim in ea lege habentur: *infelici arbori reſte ſuſpendito,* ea Horatius Pater in oratione ad populum apud LIVIUM ipſe explicat: *Hunc quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidiſtis Quirites, eum ſub Furca vinctum inter verbera & cruciatus videre poteſtis?* & paulo poſt: *I, caput obnube liberatoris urbis hujus, arbori infelici ſuſpende.* Nec eſt ut quiſpiam dicat, Horatium ſub Furca vinctum verberari debuiſſe, forte ſecundum ea, quæ Idem habet LIPSIUS, (*b*) inde infelici arbori fuiſſe ſuſpendendum: tale quid fingere graviſſime vetat ipſa Tulli Hoſtilii lex, quæ omnem ſupplicii ordinem exacte deſcribit, de Furca autem inter verbera ferenda tacet, ut adeo illa tacente, quæ JCtorum vox eſſe ſolet, & nobis tacendum ſit. Nec quenquam moveat illud; *Sub* Furca vinctum videre; ut enim taceam, morem reſte ſuſpendendi illorum temporum nos ignorare, pervulgatum tamen eſt apud omnes, ipſam ſuſpendii vocem ſimile ſonare, dicique illos ſuffigi qui potius cruci affigebantur. Sed mittamus argumentum terribile, & omnem illam rem, qua non aliam ferme antiquam fuiſſe nobiliorem, merito dicit LIVIUS. (*c*)

D 2 Con-

(*a*) c. 23. (*b*) L. III, c. 5. L. II, c. 24.

Conſervarunt illius memoriam monumenta Auguſti temporibus adhuc exiſtentia, Horatiæ ſepulcrum, cujus idem ille lacteus ROMANÆ HISTORIÆ PATER (a) meminit & quæ DIONYSIUS (b) exſtare aſſerit, Tigillum Sororium, Pila Horatia, & lex Tulli de Tergeminis alendis. Viri docti eam ita afferunt: NATI TRIGEMINI DONICUM PUBERES ESUNT DE PUBLICO ALUNTOR. Tanta eſt SCRIPTORIS HALICARNASSEI auctoritas, ut talem legem Romæ olim extitiſſe facile mihi perſvaderi patiar. Sed cùm apud alios Auctores omnes hujus rei, quod ſciam, nec veſtigium appareat, valde vereor ut bonus ille vir in nonnullos inciderit Romæ, qui legi, ut eximiæ fœcunditati ſuum eſſet præmium, latæ, illuſtriores antiquioresque natales affinxerunt.

Albanorum perfidia. XVI. Sed reliqua perſequamur, in quibus nobis licebit eſſe brevioribus. Conquerebantur Albani tribus militibus publicam fortunam commiſſam eſſe, nec recta conſilia patiebatur vanum Dictatoris ingenium, qui, quod vi & viribus non poterat, proditione & fraudibus ſe effecturum credebat. Fidenates, Vejentibus belli ſociis aſſumtis, Albanorum prius tranſitionem pacti, bellum Romanis inferunt, contra quos, Metio etiam Fufetio ab Alba accito, ſuos ducit Tullus; ipſe in acie legiones adverſus Vejentes dirigit, Albanos contra Fidenates locat. Hi ubi Prælium commiſſum, ſenſim ad montes ſuccedunt, Romanorumque latera nudant, certo conſilio, qua fortuna rem daret, ea ſe inclinaturos vires. Quod cum nunciatum eſſet Regi Romano, magno animo, *nihil*, inquit, *trepidatione opus eſt; meo juſſu circumducitur Albanus exercitus, ut Fidenatium nuda terga invadant.* Simul equites haſtas erigere

(a) L. II. c. 26. (b) L. III. c. 21.

erigere jubet, ut magnæ peditum ſuorum parti abeuntium Albanorum conſpectum interſepiret. Iſta Oratione & ſuis reſtituit animos, & timorem injecit hoſtibus, qui, quod Albanos non tranſire ex pacto, ſed ſimulata potius proditione circumducere ſuas copias videbant, ſe male deceptos opinabantur. Fugere itaque incipiebant magna contentione, maxime cum Metii Fufetii equites acriter eos inſequerentur; inclinata Fidenatium acie hoc conſilii ille ceperat, ut fidam Romanis operam ſe præſtare oſtenderet. Ita a Tullo una iſta die debellatum eſt. Sed ſupererat res haud minus ardua, ultio proditionis, de qua Rex Romanus, nocte Romam profectus, ad Senatum referebat; hærentibus & quid ſtatuendum ſit, dubitantibus ſuum ipſe conſilium expoſuit, & poſtquam approbaſſent, eadem nocte in caſtra reverſus, executus eſt. Superatis hoſtibus in campos deſcenderat Albanus exercitus certaminis ſpectator, Metiusque Tullo devictos Fidenates Vejentesque gratulatus fuerat, quos contra Tullus benigne fuerat allocutus, caſtra caſtris jungere, & in ſacrificio luſtrali in diem poſterum ſibi adeſſe juſſerat. Nunc antequam haberet concionem, præmiſit Albam ſelectos equites peditesque, Marco Horatio Duce, qui multitudinem inermem imbellemque traducerent Romam, Urbem diruerent. Quo facto primi per præconem exciti Albani, noviſſime Romani, illi inermes, hi fere armati, in medio Tullus, juxta eum fortiſſima Tribunorum Centurionumque Romanorum manus, & proxime Metius Fufetius. Tum Tullus omnem rem, ut geſta erat in prælio, exponit, non ſuo juſſu, ſed fraude & proditione ab Albanis ſeceſſum eſſe in montes, aperit, Metium Ductorem hujus Itineris, eundem hujus machinatorem belli, Fœderis Romani Albanique ruptorem incuſat, quem, hac voce Regis audita, centuriones armati circum ſiſtunt. Mox ſuam de Albanis

Romam traducendis, de Metio quadrigis diſcerpendo ſententiam pronunciat. Varia Albanis in re graviſſima & repentina voluntas, ſed cum ſe inermes ab armatis obſideri, & omnes, ſi vim molirentur, pecudum ritu mactandos eſſe, cernerent, ceſſere fati neceſſitati, ſuamque ſalutem dictatoris fœdo ſupplicio, patriæque excidio redemere. Hæc biduo geſta ſunt, in quibus num magis Tulli Hoſtilii imperterritum cum in bello tum in concione animum, an conſilii promtitudinem, illam excellentem de rebus graviſſimis & moram non ferentibus recte ſtatuendi vim, an ardorem igneum, & in exſequendis iis, quæ ſtatuerat, impetum atque pertinaciam magis laudarim, nondum video.

Urbs aucta. XVII. De Albanis ita decreverat Tullus: *Populum omnem Albanum Romam traducere in animo eſt, civitatem dare plebi, primores in patres legere, unam urbem, unam rempublicam facere.* Romulus in Palantio Romam quadratam condiderat, rupe etiam Tarpeja poſt bellum Sabinum intra pomœrium recepta. Numa non minorem virtutem exiſtimans, quam quærere, parta tueri, ampliore urbe non indigebat. Tullus itaque Regum poſt Romulum primus Cœlium montem Palatino Capitolinoque adjecit, & in eo non modo Albanos habitare juſſit, ſed & ipſe Regiam pariter ſuam atque Curiam Hoſtiliam ex foro Romano eo tranſtulit, veteri regnantium artificio, quo loca inculta atque neglecta, grata ſuis civibus, ſplendidiora, & frequentiora efficere ſtudent. Sed & in Patres allegit Albanorum Principes Julios, Seruilios, Quintios vel Quintilios, Geganios, Curiatios, Clælios & ex DIONYSII (a) ſententia Metilios infelicis Dictatoris, ut conjicere licet, agnatos, ne qua pars rei publicæ haberet, cujus rei cauſa patriam antiquam requireret. Fruſtra tamen eſt idem DIONYSIUS, (b) quando ſibi perſvadet,

ſtatim

(a) L.III. c.29. (b) L.III. c.1.

Digitized by Google

ſtatim initio Regni Tullani Cælium montem Urbi fuiſſe additum, quod LIVIUS (a) recte ad Albam Romæ geminatam refert. Quod autem apud eundem LIVIUM habetur: *Curia, quam fecit, Hoſtilia usque ad Patrum noſtrorum ætatem appellata eſt*, intelligendum de Temporibus P. Clodii, cujus a Milone occiſi cadaver rogo ex ſubſelliis ligneis conſtructo impoſitum & cum ipſa Curia a furente plebe exuſtum eſt. *(b)* Fuit autem hæc curia ex earum genere, *in quibus*, ut VARRO *(c)* ait, *Senatus res humanas curabat*, quod Romulo & Numa regnante in Curia Calabra factum fuiſſe, mihi admodum veriſimile videtur. Mihi perinde eſt, ſive eam ex triginta unam dicas, in quibus Curiones pro Curialibus ſacra faciebant, ſed ampliorem & dignitate primam, ſive eo unice fini, ut Senatus eo calaretur, eſſe ædificatam. Romulum eam condidiſſe, ſatis conſtat ex SERVIO, *(d)* de quo mihi admodum placet ſententia JOANNIS SARIISAMOSCII, aut quicunque demum Auctor eſt elegantis *de Senatu Romano* Libelli, *hominem eſſe non ſumma præditum doctrina, qui tamen non nihil ſcit*. Vult equidem ille eam ita appellatam, quod Populus eo calaretur, id eſt, convocaretur, cum incertæ eſſent Kalendæ & Idus, ut ibi eas addiſceret, de qua re, uti forte dubitare adhuc licet, ita amplam ſatis fuiſſe, atque a calando accepiſſe nomen tuto inde colligas. Neglecta ſine dubio eſt, poſtquam Hoſtilia condita, vel æmulatione Romuli, vel quod Calabra auctum Senatum non caperet, vel quod juxta Regiam Senatum haberi mallet, quam in loco nimis a Cælio monte remoto, Rupe nempe Tarpeja.

XVIII. Locupletata Viris urbe, & auctis Legionibus, Fidenatibus etiam in ordinem redactis, bellum Sa- *Bellum Sabinum.*

binis

(a) L. I c. 30. (b) DIO CASSIUS L XL. (c) L. IV. de L. L. (d) ad L. VIII. Aeneid. v. 654.

binis illatum eſt, genti ea tempeſtate viris armiſque opulentiſſimæ. Quamvis enim Sabini, qui Tatio Regi paruerant, in urbem eſſent recepti a Romulo, potior tamen & ferocior pars invidenda Urbis incrementa lividis oculis hactenus ſpectaverat, cum quibus & a Regibus, &, his ejectis, ſæpius pugnatum eſt. Firmant hoc ea, quæ *in Numa* dicta ſunt, illas Italiæ Civitates fere non niſi communi nomine junctas fuiſſe. Cauſa Belli allegabatur iniuriæ Romanis negotiatoribus in frequenti ad Fanum Feroniæ deæ mercatu illatæ, quos Sabini vinxerant & pecuniis ſpoliaverant. Εἰς τὸ ἱερὸν τοῦτο, verba ſunt DIONYSII,(a) *συνήεσαν ἐκ τῶν περιοίκων πόλεων κατὰ τὰς ἀποδεδειγμένας ἑορτὰς, πολλοὶ μὲν εὐχὰς ἀποδιδόντες καὶ θυσίας τῇ θεῷ πολλοὶ δὲ χρηματιούμενοι διὰ τὴν πανήγυριν ἔμποροί τε καὶ χειροτέχναι καὶ γεωργοὶ ἀγοραί τε αὐτόθι λαμπρόταται τῶν ἐν ἄλλης τισὶ τόποις τῆς Ἰταλίας ἀγομένων ἐγίνοντο.* Perjucundum fuit, me in ultima antiquitate deprehendere veſtigia conſvetudinis, quæ & nobiliſſimis Germaniæ Urbibus ſua initia, & nundinis in noſtro Imperio maximis, nomen vernaculum ſed, pereginæ originis conciliavit. Apparatus belli ingens, pugna ad Sylvam malitioſam atrox, victoria adeo dubia, ut Tullus, ſublatis in cœlum manibus, ſi viciſſet, Saturno, & Rheæ dies feſtos & duodecim Salios voveret. LIVIUS (b) qui in Bello cum Fidenatibus & Albanorum defectione illud accidiſſe memorat, Tullum etiam fana Pavori & Pallori, ut in re trepida, voviſſe dicit; Ego DIONYSIUM, qui hæc tacet & reliqua ad Bellum Sabinum refert, LIVIO lubenter prætulerim.

Salii. XIX. Duodecim Salios, Martis Gradiui Sacerdotes, qui ſtatis diebus ancilia per Urbem gererent, inſtituit Numa, a ſacrario, quod in Palatino Monte erat, *Palatini* ſuc-

(a) L. III. c. 32. (b) L. I. c. 27.

ſucceſſu temporis dicti. His Tullus ex voto addidit alios duodecim, Salios *Collinos*, *Agonales*, quas voces DIONYSIUS *(a)* habet, *Agonenſes* ut VARRO *(b)* eos appellat, *Quirinales*, *Pavorios*, *Pallorios* quæ vocabula apud SERVIUM (*c*) exſtant, quamvis hic in eo omnino erret, quod Quirinales a Numa inſtitutos dicat, & a Pavoriis Palloriiſque diverſos putet. Pavorii Palloriique ideo nominati ſunt, quod pavoris, palloriſque pellendi cauſâ eos voverit Tullus; Quirinales, Collini; Agonales a ſuo in Colle Quirinali Sacrario, quem veteres, monente FESTO, Agonium dicebant. Quid adeo SERVIUM excuſare poſſit non video; ſed DIONYSIUM (*d*) inter & DIONEM(*e*) diſſenſus, qui a TOBIA GUTBERLETHO *(f)* aſſertur, facile tolli poteſt. Ille Tullum votum feciſſe dicit eo die, quo Sabinos vinceret, *τὸν τῶν Σαλίων καλȣμένων διπλασιάσειν ἀριθμόν*. Hic Regem Deos ſpreviſſe memorat, donec & Urbs & ipſe peſtilentia corriperetur. Tum repente omnibus magnis praviſque ſuperſtitionibus obnoxius factus *τȣ̀ς Σαλίȣς τȣ̀ς κολλινȣ̀ς προσκατέστησε.* Voviſſe Salios in bello Sabino credam DIONYSIO, ſed ut erat parcus Deorum cultor & infrequens, neglexit religiones, donec morbo fractus, ex DIONIS Sententia, id, quod dudum ex voto debuerat, efficiebat.

XX. Devictis Sabinis &, ut DIONYSIUS (*g*) narrat, Latinis bello tentatis, magna Tulli gloria, magnæ opes, ſed quibus adverſus Deorum iras, aut domeſticas inſidias defendi non potuit. Duplex de Hoſtilii interitu ad nos manavit rumor: Alii volventem commentarios Numæ & occulta quædam Sacra Jovis Elicii non recte ineuntem *Tulli exitus*

E aut

(*a*) L. II. c. 20. (*b*) L. V. de LL. (*c*) ad *Æneid.* VIII. v. 285. (*d*) L. III. c. 32. (*e*) *in excerptis Conſtantini Prophyrogenetæ* p. 569. (*f*) *de Saliis* §. VI. (*g*) L. III. c. 34.

aut curantem, Jovis prava religione ſollicitati fulmine ictum cum domo conflagraſſe contendunt: Alii Ancum Marcium Numæ ex filio nepotem, cum Rex, coorta forte fortuna tempeſtate, ſacrificium familiare faceret, cum Sociis irrupiſſe in regiam, & Regem, & filios, quos heredes ſibi fecerat, & omnem familiam obtruncaſſe, incenſaque variis in partibus domo regia fabulas de Jove Elicio in vulgus ſparſiſſe, memorant. Et prodigia præceſſere. In monte Albano tum lapidibus pluiſſe cœpit, & vox neſcio quæ ingens ex ſummi cacuminis luco audiri viſa eſt; commenta hominum res novare volentium. Et abuſi ſunt morbo ad perſvadendum plebi, diſplicere Diis immortalibus violentum Tulli ingenium, & ut injiceretur Numæ, quem Ancus propius referebat, aliquod deſiderium. Cum etiam Jovem illum Elicium DIONYSIO rectius noverim, facile adducor, ut fortiſſimum Regem ſuorum fraudibus periiſſe credam. Argumenta ſaltem quibus bonus ille Vir contrariam ſententiam firmare annititur, admodum ſunt debilia: *Non veriſimile eſſe, quod tale facinus multorum ope perpetrandum, celari potuerit*; quod copioſis exemplis & domeſtico inprimis, Romuli cæde, refutatur; *auctorem cædis pro comperto non habuiſſe, Romanos ſe regem facturos*; ac ſi artes Anci in cæde Regis ſubſtitiſſent; *denique non hominum modo, ſed Deorum immortalium voluntate opus fuiſſe, qui fauſtis auſpiciis Anco, ſi Parricida fuiſſet, regnum non addixiſſent.* At quo loco habenda ſint Romanorum in Regno capiendo auſpicia, alibi ſatis monitum eſt: & ex eo quod divini numinis patientia flagitia & ſtultitiam noſtram fert, homines integros vitæ ſceleriſque puros pronunciare haud licet. Regnavit Tullus annos duos & triginta.

Tullus Romulo comparatus.

XXI. Vidimus Regem,

(a) Otia

Otia qui rupit patriæ, reſideſque cruenta
Movit in arma viros & jam deſueta triumphis
Agmina (*a*)

Romulus alter, ſive quod hunc ille ſtudioſe exprimeret conditoremque Urbis magno animo æmularetur, ſive quod idem animus, iidem mores Tullo imprudenti paria fata conciliaverint. Sane uterque nobiliſſima proſapia oriundus, ille Albanorum Regum, hic Medullinorum Principum, dura juventute uſus eſt, primosque annos ruri & inter pecora contrivit; uterque Romanorum Rex bellis & multis & magnis exercitus eſt ille Cæninenſi, Cruſtumino, Antemnate, Sabino, Camerino, Fidenatenſi, Vejenti, hic Albano, Fidenatenſi, Sabino, Latino, tantoque ſummæ rei diſcrimine aliquando pugnatum eſt, ut Romulus Jovi Statori ædem, Tullus Saturno & Rheæ dies feſtos, Marti Salios victoriæ cauſa voverint. Romulus æmulum Tatium tulit, Tullo Metius Fufetius multiplex negotium exhibuit: Urbem, quam Quirinus condiderat, hic iterum condere non poterat; in eo tamen ſimilimus Romuli, quod Albanum Populum inter cives receperit, Cœlium montem Urbi addiderit, Senatum auxerit, Curiam condiderit. Utrumque tandem infelici morte & ſuorum ſcelere periiſſe, ſupra retulimus.

ΗΓΕΡΘΗ Ο ΚΥΡΙΟC ΟΝΤΩC
ΑΛΛΗΛΟΥΙΑ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

(*a*) VIRGILIUS *Æneid.* VI. v. 812.

Digitized by Google

Digitized by Google